


A 56500 - 7



A 56500(7)

Nur zur Benutzung  
im Lesesaal



27 JUNI 96

Hausbuchbinderei  
d. Univ. Bibliothek  
Giessen



UB GIESSEN



12 087 101

T 12 087 101

12



A  
5657  
(7)

A

56500

(7)

~~A. 56524~~

A 56500 (7)

11. JUNI 1980

05R06

02. JUNI 1980

19R03

06. NOV. 1982

23. R 10.

D

S

SE

83

'00

RECTOR

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

D. ERN. LUDOV. WILH. NEBEL

MEDIC. P. P. O.

SUCCESSOREM SUUM COMMENDAT

EIUSQUE


INAUGURANDI SOLEMNIA

D. XXIX. SEPT. CELEBRANDA

INDICIT ATQUE

SERIEM PROFESSORUM IN ORDINE IURISCONSULTORUM

GIESSENSIUM PRAEMITTIT.



GISSAE

TYPIS SCHROEDERI ACADEMICIS

MDCCCXIII.

83

'00

*Procurator J. Prof. D. L. S. S. S.*

BIBLIOTHECA

ACADEMICA

D. THOMAS JUDOV. V. P. S. S. S.

1780

SUCCESSIONE SUI COMITIS

1780

IMMORTALITATE COMITIS

12 087 101

Univ.-Bibl.  
Giessen

COMITIS THOMAS JUDOV. V. P. S. S. S.

~~~~~

Go  
tatu  
ctar  
chr  
exc  
gym  
d. 1  
160  
nec  
cre  
rific  
pra  
cruc

tuti  
doc

—  
a

I.

*Godofredus Antoni*, natus Freudenbergae Westphalorum, comitatus Hoyae oppidulo, a. 1571, prof. institutionum 1603, pandectarum 1604, Marburgi constituebatur. Ob seditiones circa fidei christianae integritatem exortas Marburgum, ubi ipsi ob doctrinae excellentiam libertas religionis concedebatur, relinquebat et in gymnasio, quod Giessae condebatur, professoris partes fuscipiebat d. 10 Oct. 1605. Sub inaugurationis academiae solemnia, d. 8 Oct. 1607, cancellarii et prof. juris primarii munus ipsi demandabatur, nec non rector magnif. nominabatur. Postea simul in consilium secretius Ludovici V. Landgr. cooptabatur, legationibus quoque honorificentissimis aliquoties fungebatur. Utilem academiae operam praestitit vir magni nominis, donec, podagra et calculi doloribus diu cruciatus, diem obiit supremum 15 Mart. 1618 a).

1.  
1.<sup>a</sup> Vult.  
1.<sup>a</sup> Gold.

II.

*Ioannes Kitzel*, natus Epsteinae d. 10 Febr. 1574, prof. institutionum nominatus est 1605, primis temporibus simul mathefin docuit. Doctor renunciatus 1614, procancellarii munere ornatus 1618.

---

a) *H. C. Senckenberg* a. 1738 orat. aditalem de commodis iurisprudentiae studio ab acad. Giessena natis et expectandis habuit, in qua de vita

et scriptis ictorum antiquiorum agitur. Legitur, nna cum adiunctis, in eiusdem meditationibus.

1618. Marburgum translatus est 1625, sed Giessae saepius commoratus hic vivendi finem fecit d. 30. Aug. 1627 b).

### III.

*Henricus Nebelkrae* cognomento Immelius, Francobergensis, tertium in ordine iſtorum obtinuit locum a. 1607. Valedixit academiae 1624 et Wezlariam petiit, ubi vita interceptus d. 12 Maii 1635.

### IV.

*Petrus Friderus*, natus Mindae Westphalorum, quartum in ordine iuridico locum consecutus est a. 1607: vir doctus scriptisque celebris, in quo tamen facundiam desiderabant. Abiit a. 1613 Francofurtum ad Moenum, ubi syndicus civitatis constituebatur: in quo officio animam edidit d. 22. Iun. 1616.

### V.

*Helfricus Ulricus Hunnius*, patre Aegidio, magni nominis theologo, genitus Marburgi 17 Mart. 1583, in locum *Frideri* successus est 1615. Postquam Marburgum migraverat, magno illi *Hermanno Vulteio*, qui munere se abdicaverat, ut procancellarius et prof. iur. prim. successit. Sed a. 1630, religione quadam ductus, academiae valedixit fidemque catholicam amplexus a Philippo Christophoro, archiep. Trevirensi et episc. Spirensi, ut curiae Spirensis director acceptus est. Belli tricennalis calamitatibus male vexatus

b) Postquam terra Marburgensis, ex decreto Caesaris, in ditionem Ludovici V. Landgr. venerat, academia Giessensis Marburgum trans-

lata est d. 25. Maii 1625 ibique permansit, usque donec, ex pace Westphalica rebus mutatis, d. 5. Maii Giessam denuo pervenit.

tus Coloniam Agrippinam confugit, ubi miser et egenus occubuit  
d. 27 Mart. 1636.

## VI.

*Theodorus Reinking*, Curonus, natus 10 Mart. 1590. Postquam iuvenis ad magna natus musas Giessenses adierat 1615, et anno sequente supremos in iurisprudencia honores consecutus erat, una cum his professoris publici provinciam suscepit. Virum omnibus aestimatum mox ex academia detraxit Ludovicus V Landgr., cum a. 1617 iudicii revisorii simulque curiae Giessensis socium esse iusserit. Ad varia negotia publica legationesque adhibitus cancellarii Hassiae superioris apud Marburgenses officio ornatus est. Aegerrime a Principe dimissus, cum dux Megapolitanus illum ut cancellarium poposcisset, a. 1632. Denique Friderici III, Danorum regis, cancellarius in ducatu Slesvicensi et Holfatico atque supremi iudicii praeses factus Gluckstadii domicilium habuit, ubi rebus humanis valedixit d. 16 Dec. 1664.

## VII.

*Ioannes Breidenbach*, quem Cloppenheimium in Wetteravis genuit a. 1587, initio ethicam professus est a. 1614, syndicus acad. constitutus 1616, prof. institutionum nominatus 1618. Quam provinciam Marburgi quoque servavit 1625, ubi codicem Iustin. per multos annos docuit: senex interiit d. Aprilis 1656 c).

a 2

## VIII.

c) Omitto *Christianum Liebenthal*  
atque *Theodorum Hoepingk*,  
scriptores iuridicos, quia uterque,

dum in athenaeo Hassiaco versabantur, ordini philosophorum adscripti erant.

## VIII.

2. *Iustus Sinold* cognomento *Schütz*, Butisbacensis, natus 3 Apr. 1592, Marburgi, quo tunc temporis transferebatur acad. Giessensis, prof. iur. extraord. 1625, ordinarii 1626, obtinuit locum atque digesta docuit. *Nesenum* a. 1640 mortuum in procancellarii atque prof. iur. primarii munere exceptit. Giessae, cum academia restauraretur, academiae simulque regiminis cancellarius constitutus est 1650. Plurimum academiae profuit vir praeclarus, ad pacis quoque Osnabrugensis tractatus nec non ad comitia imperii a Georgio II. Landgr. missus. Calculi (cuius sectio in vivo instituta erat) doloribus confectus obiit d. 12 Dec. 1657.

## IX.

3. *Antonius Nesenus*, Schlangae Lippiacorum a. 1582 prognatus, postquam iuris disciplinam Stadthagae in gymnasio, tum Rintelii in academia tradiderat, Marburgum prof. decretalium vocatus est a. 1627, procancellarii munus accepit 1630. Ex vita migravit d. 25 Jun. 1640 d).

## IX.

d) Vixit his temporibus apud nos magnus ille *Melchior Goldast* ab Haiminsfeld, qui Georgio II. Landgr. a consiliis fuit, ineunte a. 1635 Giessae extinctus. Cui binos ictos celebres hic degentes adiungo.

*Phil. Glaum* I. U. D. et advocatum, qui methodum addiscendere iurisprudentiae, Glaumianam dictam, proposuit. Mortuus 21 Febr. 1651, annum agens 74.

*Phil. Helfr. Krebs*, Giessensem, tractatu de ligno et lapide notum. In patria a consiliis regiminis fuit, reliquit vero Giessam 1699: fatis functus Wezlariae ut cam. Imp. assessor d. 4. April 1723, aet 76.

Quibus quatuor viri praeclari, qui iurisprudentiam scholis privatis tradiderunt, accedant.

## X.

*Ioannes Kornmann*, Hamelburgi Franconum' a. 1587 prognatus, postquam 1610 Giessae phil. magister renunciatus erat, in facultatis philosophicae consortium venit 1625, simulque acad. syndicus constitutus est. A. 1630 in ordinem iutorum transiit. Fatis functus Marburgi 16 Ian. 1656, ut iuris canonici professor.

## XI.

*Ioannes Walther*, Hersfeldiae m. Apr. 1596 in lucem editus, scholas iuridicas privatas aperuit Giessae 1621, paulo post Darmstadtium, ut in paedagogio, simulque apud principes iuventutis Ludovici V. Landgr. filios, praeceptorem ageret, evocabatur. In curia Marburgensi a consiliis factus ad iutorum ordinem transiit 1626 et prof. codicis munia adiit. Naturae debitum persolvit d. 26 Mart. 1647.

## XII.

*Gregorius Tulsner*, d. 12 Mart. 1600 Lipsiae, patre urbis praetore, in lucem prognatus, postquam nobiles quosdam Schulenburgios in acad. Marburgensem comitatus erat, hic remansit et I. U. L. gradum ambiit 1631. Tabularii curam illi demandavit Georgius II. Landgr. a. 1632. A. 1640 prof. iur. ord. simulque acad. syndi-

*Io. Eichrod*, prof. iur. Rintelensis, tum syndicus civit. Hamelensis. Obiit 27. Ian. 1638.

*Io. Wormbser*, Giessensis, Tübingense literarum studium secutus, ubi prof. iur. feudal. et canonic. sanctionum fuit. Mortuus 20 Oct. 1659, annos natus 59.

*Io. Georg. Kulpis*, Alsfeldiensis, magni nominis iustus, duci Würtemb. a consiliis secretioribus. Extinctus 2. Sept. 1698, aet. 46.

*Ierem. Laurent. Mogen*, Giessensis, posthac curiae patriae director. Interiit 30. Dec. 1692, aet. 53.

syndicus nominatus est. Sed saepius peregre profectus erat, ut utilem reipublicae operam praestaret; quo tempore a Ferdinando III. Caes. S. R. I. nobilibus adscribatur. A. 1650 Giessae denuo prof. iur. officium suscepit et fidus, sed ultimis annis fractis viribus, academiae commodo operam navavit. Exspiravit d. 24 Mart. 1672.

## XIII.

*Jacobus le Bleu*, natus Oppenheimii 15 Mart. 1610, linguas exoticas docere iussus est 1642. In syndici officio *Tulsnerum* secutus est 1643. Cum urbem et academiain, belli tricennalis calamitatibus turbatam, relinquerent multi, ipse quoque castra secutus iudicis castrensis personam egit. Munus acad. denuo aggressus Giessae prof. pandectarum, nec non politicae seu prudentiae civilis, factus est atque syndici partes gessit. D. 14 Dec. 1668 ex humanis migravit vir suis temporibus non parum aestimatus.

## XIV.

*Martinus Müller*, cui natalitia dedit Langenschwarza in Fuldenibus d. 20 Ian. 1613, a. 1646 ethicam atque politicam Marburgi docere coepit. A. 1650 ius canonicum simulque ethicam (in qua vero 1654 *Io. Weissium* successorem habuit) Giessae professus est. Adversa valetudine diu conflictatus animam exhalavit d. 11 Mart. 1669.

## XV.

*Joannes Helvicus Sinold* dict. *Schütz*, patre *Iusto* Giessae d. 25 Ian. 1623 prognatus, a. 1650 orator academiae constitutus, iurium prof. nominatus 1652, triennio post patriae valedixit et Vindobonam migravit, ubi in consilium Imp. aulicum receptus est.

Vin-

Vindob  
rii mun

16  
Postqua  
ciliaver  
vices g  
marius  
scholast  
dicabat  
egit, aet

H

d. 20 N  
fili infir  
ris mun  
sine inv  
A. 1678  
bilibus  
Iul. 169

Ioan

cem adf  
aperuit  
dici aca  
curia ib  
Rediit  
1689.

Vindobona dein relicta Zellis apud Brunsvicensium ducem cancellarii munus suscepit. Diem suum obiit 30 Iul. 1677.

## XVI.

*Ioannes Otto Tabor*, Budissinensis, natus d. 3 Sept. 1604. Postquam in acad. Argentoratensi magnam nominis famam sibi conciliaverat, dein Gustrovii Megapolitanorum triennium cancellarii vices gesserat, Giessam ut acad. cancellarius et prof. iur. primarius venit 1659. Plurimum academiae profecerat, donec vitae scholasticae, forte et machinationum, pertaedeat et munere se abdicabat 1667. Reliquos vitae dies tranquille Francofurti a. M. transigit, aeternam tranquillitatem adeptus d. 12 Dec. 1674. /u

## XVII.

*Huldericus Eyben*, natus Nordae, Frisiae orientalis oppido, d. 20 Nov. 1629. Giessam adiit a. 1651, atque *Schützii* et patris et filii institutione potissimum usus doctoris lauream, nec non professoris munia, consecutus est 1655. Cum plausu maximo, nec tamen sine invidia, docuit usque ad a. 1669, quo Helmstadium migravit. A. 1678 Wezlariam ut camerae Imp. adfessor venit atque Imp. nobilibus adscriptus est. Fato obiit vir post funera immortalis d. 25 Iul. 1699. |i

## XVIII.

*Ioannes Richardus Malcomesius*, Marburgensis, primam lucem adspexit d. 5 Oct. 1637. Doctor creatus 1666 scholas privatas aperuit eodemque anno, 9 Nov., prof. extraord. nominatus est, syndici acad. officio superaddito. Anno post Darmstadium migravit in curia ibidem a consiliis factus. Consilio secretiori adscriptus 1674. Rediit Giessam atque procancellarii et prof. prim. munus obtinuit 1689. Conditione mortalitatis obiit 15 Aug. 1692. 6

XIX.

## XIX.

*Henricus Petrus Haberkorn, Petri*, magni nominis theologi, filius natus Gießae 2 Sept. 1639, I. U. D. honores consecutus est 1664. Tum iurisprudentiam privatim, extra ordinem vero 1668, docere coepit. In syndici munere *Malcomesio* suffectus est. Abiit a. 1672. Gorliciam syndicus: demum Dresdam, ubi in suprema pro- vocationum curia a consiliis fuit. Mortuus a. 1711.

## XX.

*Antonius Henricus Mollenbeck*, celebris ille gentis praeclarae auctor, Rintelii d. 14 Mart. 1622 in lucem editus est. Ex urbe patria codicis prof. p. o. vocatus m. Octobri 1669. ad nos appulit. Primum in ordine iſtorum eodem, quo moriebatur, anno capessivit locum. Moriebatur 29 Oct. 1693.

## XXI.

*Nicolaus Christophorus Lyncker* patre *Aegidio*, acad. Gies- sensis oeconomus, usus est, in lucem prognatus Marburgi d. 2 April. 1643. Iur. lic. 1654, doctor 1668 renunciatus, a. 1669 professoris extraord. munia obtinuit. Haud parum splendoris vir eximius patriae conciliavit, sed locum prof. ord., nescio quibus refraganti- bus, nancisci non potuit. Ergo Iſenacum vocatus abiit 1674 ibique a consiliis regiminis factus est. A. 1677 locum *Strauchii* in ordine Iſtorum Ienenſium cepit. *Geo. Ad. Struvio* a. 1692 ut praefes collegiorum ducis Saxo Ienenſis et consilii ſecretioris ſocius ſucceſſit. A. 1701 consilii ſecretioris Vinarienſis praefes nominatus, paulo poſt Vindobonam tetendit, ubi in conſilium Imp. aulicum cooptatus atque nobilitate donatus est. Hic annis et meritis gravis placide obdormivit d. 23 Mart. 1726.

## XXII.

## XXII.

*Hartmannus Jacobi*, natus Wombaci in Wetteravia, praefecturae Hungensis vico, a. 1617, postquam studia academica perfecerat, 1645 Grünbergae advocati et urbis syndici munus obtinuit, 1651 I. U. Lic. et urbis Giessensis syndicus factus, 1664 in curia civili atque sacra a consiliis nominatus, locum cancellarii et prof. iur. primarii *Taboris* discessu vacantem adiit m. Martio 1670, simulque curiae ut cancellarius praefectus atque consilio secretiori adscriptus est. Consilio, nescio quo, circa finem a. 1675 abiit Moguntiam, ubi fidem catholicam amplexus Electori a consiliis secretioribus, procancellarius et iudicii revisorii praeses factus est. Imperii quoque nobilitatem nactus, cum cognomento *ab Ehrenkron*. Decessit Moguntiae d. 9 Iun. 1680.

## XXIII.

*Fridericus Nitzsch*, praecedentis gener, natus in villa Zittawig prope Dresdam d. 11 Mart. 1641, ad matheos cathedram vocatus a. 1663 advenit. Iurisprudentiae studium, cui iam antea, theologia seposita, Lipsiae operam navaverat, inter opera cathedrae coluit atque lic. 1670, doctor 1671 rite creatus est. Syndici officium illi concredebatur 1671. Pandectarum prof. ord. nominatus 1674. Iudicio Hassiae communi revisorio adscribebatur 1684. Fiscii academici administrationem (in qua Rudrauffium sequebatur) 1690 nanciscebatur. Locum in ordine iudiciorum primum adipiscebatur post fata *Mollenbecii*. Procancellarius nominatus 1702 vix sex menses illo munereungebatur. Vitam cum morte commutabat d. 25 Aug. 1702.

## XXIV.

8  
/m  
*Ioannes Strauch*, amplae eruditionis et magni nominis vir, postquam Ienae per multos annos antecessoris, demum cancellarii et consistorii praefidis, personam gesserat, quibusdam rationibus motus istam academiam reliquit et Giessam, ubi procancellarius et prof. iur. prim. vocatus erat, advenit 1676. Habuimus vero senem (natus erat a. 1612 d. 2 Sept. Coldiciae Misnensium), quem placida mors sustulit d. 2 Dec. 1679.

## XXV.

8 x  
*Nicolaus Thilenius*, Francofurtensis a. M. Argentorati a. 1671 in utroque iure licentiam, quam ad mortem usque sustinuit, nactus, prof. extraord. tum ordinarius iurium apud nos constitutus est 1675. Augustam Vindelicorum profectus 1689, ut solemnibus coronationis Imp. Iosephi I. interesset, ibi febre acuta periit.

## XXVI.

9  
*Ioannes Nicolaus Hert*, natus Niedercleae, praefecturae Cleebergensis in Wetteravia vico, d. 6 Oct. 1651, in paedagogio et academia Giessensi praeclare informatus est, *Tabore*, *Eybenio*, *Mollenbecio* atque *Lynckero* antecessoribus usus. Visis academiis Ienensi, Lipsiensi atque Vitembergensi Giessam rediit. Iur. Lic. creatus est 1676, simulque in advocatorum numerum receptus, atque scholas privatas habuit. A. 1682 prof. iur. extraordinarius nominatus est, 1683 politicam, in ordinem philosophorum receptus, professus est. A. 1686 pro obtinendo I. U. D. gradu publice disputavit. Cum *Thilenio* defuncto locus in ord. idorum vacuus esset, hunc occupavit iussu Seren. *Ernesti Ludovici* Landgr. digesta potissimum docere iussus,

iustus, d. 22 Mart. 1690. Eodem anno syndicus factus. Cum *Nitzschius* e vivis excesserat, ad locum primum in ordine adscendi t simulque rerum acad. oeconomicarum inspectio ipsi credita est, 1702. Non nisi eodem, quo vivendi finem invenit, anno cancellarii dignitatem adeptus est. Extinctus vero tabe vir, si quis alius, insignis d. 19 Sept. 1710, scilicet moerore domestico lacesitus. Extant, quantus ille fuerit, apud cl. *Strieder Leibnizii*, *Ludewigii* et *Pütteri* testimonia. Leguntur apud biographos *Ioetherum*, *Iuglerum*, *Striederum* amplae conditiones, quibus Galliae, Sueciae, Poloniae, Borussiae reges sibi vindicare cupierunt *Hertium*. Quibus e schedis adjungo, ipsi Ienae locum *Lynckeri* discessu vacuum oblatum fuisse.

## XXVII.

*Bernardus Ludovicus Mollenbeck*, patre *Antonio Henrico* Lemgoviae d. 2 Oct. 1658 genitus, Giessae atque Ienae iurisprudentiae studium sedulus coluit. A. 1680 I. U. lic., 1686 doctoris honores obtinuit. A. 1681 advocatorum collegio nomen dedit, 1683 ethicae professor nominatus, 1690 simul politicae. Idem iam septem annos extra ordinem adscriptus a. 1692, *Malcomesio* fati defuncto, prof. ord. quartus nominatus est atque per novem menses cum patre in eodem ordine fuit. In syndici officio 1702, atque fisci acad. inspectione 1710, *Hertium* exceptit. Cancellarius acad. constitutus 1715, a consiliis secretioribus factus 1719. Corporis languore consumptus diem suum obiit vir praestantissimus d. 18 Ian. 1720.

## XXVIII.

*Gregorius Nitzsch*, *Friderici* frater germanus, natus d. 15 April. 1660, in ethica atque politica docenda *B. L. Mollenbecium*

a. 1692 exceptit. Idem extra ordinem adscriptus 1697, eodem anno munere se abdicavit, quod liti illi a theologis acad. motae, quorum alter orthodoxiam, alter pietismum fovit, immixtus erat. Lube-  
cam syndicus abiit 1698, demum director curiae Eutinum venit. In  
partes Libitinae transiit d. 16 Sept. 1705.

## XXIX.

*Ioannes Henricus Mollenbeck, Ant. Henr. filius alter, natus*  
Rintelii 7 Aug. 1669. Iur. lic. factus 1691 et in advocatorum coe-  
tum receptus facultati iuridicae extra ordinem adscriptus est 20 Nov.  
1696, cui prudentiae civilis professio ord. (in qua *Gr. Nitzschium*  
sequebatur) 5 Ian. 1698 supervenit. Multae eruditionis et improbi  
studii vir a. 1720 rude donabatur, quod in animi deliquium incide-  
rat. Vitae metam consecutus 10 Maii 1739.

## XXX.

11. *Immanuel Weber, Hohenheidae prope Lipsiam procreatus d.*  
23 Sept. 1659, ad historici partes suscipiendas vocatus munus adiit  
1698, anno sequente simul iuris prof. extraord. nominatus. A. 1713  
d. 21 Dec. iuris prof. ord. munus adiit, ius naturae, gentium ac civi-  
tatum docere iussus. Prof. codicis et novellarum locum cepit, ad-  
dito syndici officio, 1720. Ad procancellarii dignitatem euectus  
1725, ad beatorum sedes transiit vir egregius haemoptysi tentatus  
d. 7 Maii 1726, academiam decore suo orbatam linquens.

## XXXI.

12. *Simon Nicolaus Orth, Giesa ortus d. 13 Jun. 1649, initio*  
patriae urbi scriba, tum syndicus erat, 1697 advocatus fisci factus.  
A. 1701 Friedbergam abiit, syndicus ab ordine equestri Rhenano

voca-

vocatus. Iam a. 1678 doctoris gradum adeptus erat. Prof. iur. tertius ad nos vocatus d. 12 Febr. 1703 munus rite adiit, acad. syndicus nominatus 1710. *A. H. Mollenbecium* ille socerum habuit. Febre acuta occidit d. 14 Sept. 1714.

XXXII.

*Melchior Dethmar Grolman*, natus in comitatus Marcani vico Bockum d. 17 Sept. 1668. Postquam apud Marburgenses iurisprudentiam strenue didicerat atque doctoris lauream a. 1689 sibi paraverat, scholas privatas aperuit, demum prof. extraord. nec non advocatus atque ordini Teutonico a consiliis, constitutus est. Cum locum *Nitzschii* obitu vacuum a duobus suppleri decretum esset, noster quoque vocatus Giessam advenit et d. 14 Febr. 1703 locum quartum adiit. A. 1715 acad. syndicus, a. 1720 prof. primarius atque cancellarius constitutus est. Cum *B. L. Mollenbecio* (erant inter utrosque insignes viros discordiae) in gratiam rediit, cum, altera coniuge amissa, filiam eius natu minimam uxorem duceret. A. 1721 Ernesto Ludovico Landgr. a consiliis secretioribus simul factus est, ea quidem conditione, ut in collegii sacraei confessione sella ipsi destinata poneretur. In beatorum sedes transcriptus d. 28 Sept. 1722.

XXXIII.

*Lucas Franz*, natus d. 28 Febr. 1669 Marburgi: postquam hic in iudicio aulico communi Hass. a consiliis, simulque nosodochiorum Hassiacorum syndicus factus erat, Giessam vocatus ad locum in ordine Idorum quartum suscipiendum advenit; adiit vero 15 Febr. 1714. A. 1720 curiae Giess. director constitutus academiae valedixit: demum

demum procancellarius curiae et a consiliis secretioribus nominatus. Vivendi finem invenit 22 Iun. 1731.

## XXXIV.

*Ioannes Iacobus Wieger*, Argentoratensis, Francisci Ernesti, principis iuventutis, studiorum moderator erat, cum quo Giessam venit a. 1707, sub iubilaei acad. solemnia. A. 1709 moralium prof. ord. declaratus, anno post cum Principe peregre profectus non nisi 1713 rediit. D. 14 Dec. 1714 ius extra ordinem simul docere coepit. A. 1715 exeunte Darmstadium evocatus abiit, ad summos honores adscendit et per multos annos supremus status administrator fuit, gentis nobilitate addita. Tandem mortem perpessus a. 1762, octogenario maior.

## XXXV.

*Ioannes Godofredus Meier* vel, ut ipse serius dici maluit, *Meiern*, natus Baruthi Franconum d. 1 Maii 1692, Wezlariae in iudicio Imp. commoratus honores I. U. lic. Giessae ambiit 1715. Quibus impetratis tantam sui fiduciam sibi conciliaverat, ut, *Wiegero* ex academia migrante, ethici partes obtinuerit sub a. 1716 initium. A. 1718 simul. iur. prof. extraord. declaratus est. Non sine plausu munia gessit, sed invitis collegis in ord. iur. antiquioribus, quod *Thomasi* atque *Titii* placita sequebatur, et ius naturae nimis extollebat. Qua de causa in patriam vocatus abiit 1720, a. 1727 Hannoveram transiit, ubi a consiliis iustitiae secretioribus, nec non tabularii praefectus secretior, atque nobilitate a. M. Britanniae rege donatus, fuit. Magnam ibi nominis famam sibi paravit, rebus humanis exemptus d. 21 Oct. 1745.

## XXXVI.

## XXXVI.

*Ioannes Fridericus Kayser*, Giessensis, pater enim officio illo, quod registratoris nominant, fungebatur, d. 11 April. 1685 natus erat. Halae iur. lic. gradum assumpsit 1715, tum per plures annos peregre profectus in patriam rediit atque iuris extra ordinem tradendi provinciam obtinuit 1718. A. 1720 inspectio rerum acad. oeconomicarum ipsi committebatur. A. 1723 fac. iurid. assessor nominatus paullo post, d. 23 Iul. prof. iur. ord. constitutus est atque ius canonicum et praxin docuit. Syndici officium a. 1726 obtinuit, quod post triennium *Wahlro* cessit. Nam redituum status praelatorum praefecti manus consecutus, atque aerarii sacri inspectoribus adscriptus erat. Locum in ord. primum cepessivit, post fata *Hartungii*, 1730. A. 1742, muneribus academicis necdum sepositis, curiae Giessensi et civili et sacrae praefectus est vir laudatissimus. Ex ulcere cruris cacoethe obiit caelebs d. 5 Dec. 1751.

## XXXVII.

*Ioannes Godofredus Hartung*, Vitembergensis, d. Maii 1685 natus, postquam in patria academia privatim iurisprudentiam docuerat, tum in gymnasio Weissenfelsensi directoris, nec non iuris et eloquentiae professoris, vices gesserat, Giessam a. 1721, in locum *Franzii* vocatus, quartum in ord. iudiciorum locum d. 1 Maii cepit. Ad locum primum pervenit iamiam 1726, cum *Grolman*, *Ludovici* atque *Weber* satis functi erant. Vir scriptis non incelebris erat, minuerat vero praesentia famam. Apoplexia interemptus d. 23 Iun. 1728.

## XXXVIII.

XXXVIII.

*Jacobus Fridericus Ludovici*, natus Wacholzhusae Pomera-  
norum d. 19 Sept. 1671, postquam Fridericianae Halensis anteces-  
sor magnam nominis famam sibi conciliaverat, ab Ernesto Ludovico  
Landgr. ut secundum in facultate locum capesseret, vocatus, simul-  
que procancellarii honoribus ornatus atque consiliis secretioribus  
adscriptus est. Adiit munus d. 8 Nov. 1721. Anno post primum  
locum cepit. Minuit in hoc quoque famam adventus, cum partim  
hypocondria maxime vexatus, partim vitae genere moribusque  
incompositus esset. Obiit languore virium d. 15 Dec. 1723.

XXXIX.

*Ioannes Daniel Gruber*, Ipshemio Franconum ortus, initio  
studio theologico se dederat, phil. mag. 1710, nec non in orpha-  
notropheo Halensi praeceptor, factus. Iuris disciplina dein sedulo  
tractata in illa supremos honores a. 1721 consecutus est, atque extra  
ordinem profitendi potestatem 1723. Giessam vocatus d. 5 Jun.  
1724 tertium in ordine iſtorum locum occupavit. Valedixit autem  
Giessae 1727, Hannoveram vocatus una cum *Meiero*, ut ibi histo-  
riae scribendae atque bibliothecae custodiendae praecesset. Hic  
inter coelites relatus d. 24 Mart. 1743, annum 60 agens.

XXXX.

*Ioannes Fridericus Wahl*, cui Kirchhemium in Palatinatu,  
comitatus Leiningensis vicus, patria contigit d. 25 Aug. 1693, initio  
studium theologicum, dein iuridicum strenuus tractavit. Inter pa-  
tronos caussarum receptus a. 1720, eodemque anno lic. honoribus  
condecoratus est. A. 1724 professione iuris extraordinaria ornatus,  
simul-

simulque adfidere de iure respondentibus iussus est. Nondum annus intercefferat, scilicet d. 2. Ian. 1725, cum ordinaria illi cathedra assignata, et titulus consiliarii additus est. Honores doctorales obtinuit a. 1727, syndici officium vero 1729. Gœttinga autem sibi vindicavit virum praeclarum, ubi prof. iur. canon. ordinarii atque collegii de iure respondentium praesidis, nec non consiliarii aulici M. Brit. regis, dignitas ipsi oblata erat. Göttingam appulit circa Michaelis sacrum a. 1743: mortalitatis legem explevit d. 14 Iul. 1755.

## XLI.

*Georgius Ludovicus Leutner*, natione Marburgensis, a. 1717 studio iuridico apud nos se dedit. Dein advocatorum coetui adscriptus, a. 1725 iurisprudentiam extra ordinem docere coepit, a. 1726 simul fac. iurid. adfessor nominatus est. Cum in ordinario in facultate loco *Estor* atque *Stockhausen* ipsi praelati essent, abiturum acceleravit. Abiisse vero a. 1730, ut praefecturam quandam administraret, inveni e).

## XLII.

*Ioannes Georgius Estor*, Schweinsberga Hassorum ortus 9 Jul. 1699. Vir praestantissimus postquam hic potissimum et Halae praeclare eruditus erat, a. 1725 lic. gradum apud nos consecutus privatas scholas aperuit. A. 1726 historiographus Hassiacus atque prof. iur. e. o. nominatus est. A. 1727 d. 26 Nov. ordinarium locum, *Gruberi* discessu vacantem, cepit. A. 1728 I. U. D. factus est disputatione publice habita. D. 3 Oct. 1735 Gießa abiit Ienensem academiam

e) Omisit Leutnerum *Strieder*, eruditae Hassiae scriptor celebris.

Omisit quoque, qui sequuntur, *Moeglingium* atque *Wagnerum*.

demiam exornaturus. Demum Marburgum venit, ubi senex vivere desiit d. 25 Oct. 1773.

## XLIII.

*Bernardus Nicolaus Stockhausen*, Dauernhemio in Wetteravia d. 27 Nov. 1637 oriundus, postquam studia academica ritē coluerat, a. 1715 lic., 1719 doctoris gradum capessivit. Advocatorum in coetum venit d. 19 Iun. 1715, procuratoris fisci munus nactus 1722. Iur. prof. ord. constitutus d. 15 Nov. 1727 mature fati cessit d. 18 Ian. 1730.

## XLIV.

*Ioannes Fridericus Moegling*, Suevus, Tubingae patre *Io. Davide*, medico non ignobili, d. 1690 natus, postquam in patria ius non sine plausu docuerat, huc ad quartum in ordine ietorum locum vocatus est. Adit d. 20 Mart. 1731, post tres et dimidium annum vero Tubingam rediit. Ibi demum vivendi finem invenit d. 29 Ian. 1766.

## XLV.

*Ioannes Hartmuth Rays*, Zwingenbergensis, natus 24 Febr. 1703. Caesarem patronus fidem dedit a. 1726, lic. creatus 1727. Iur. cons. privatas habuit, doctor a. 1739 factus. Prof. extraord. d. 31 Aug. 1734 constitutus, simulque ordini ietorum adfidere iussus est. Ordinarium locum nactus 1738. Ex hac vita migravit d. 6 Iun. 1741.

## XLVI.

*Ernestus Christophorus Arnoldi*, patre *Io. Conrado*, philos. ac theol. professore, usus Trarbaci ad Mosellam natus est d. 10 Mart. 1696. Advocatorum numero adscriptus 1723, licentiae gradum obtinuit 1725. A. 1734 d. 4 Aug., eodem cum *Rayfio* die,

ex

ex decreto Serenissimi prof. iur. extraord. et facultatis assessor nominatus est. In quo officio mortuus d. 19 Mart. 1744, eodem anno, quo quatuor ordinarii totidemque extraordinarii professores confidebant.

## XLVII.

*Henricus Christianus Senckenberg.* Vir ad magna natus lucem adspexit Francofurti a. M. 19 Oct. 1704, Gießae educatus, nam *I. H. Maium*, theologum, vitricum habuit. Pro licentia adipiscenda disputavit a. 1729, doctor creatus 1736. A. 1735 Goettingam vocabatur, ut prof. iur. ord. munia obiret. A. 1738 Gießae locus in ord. iudiciorum tertius et in consilio regiminis munia ipsi offeriebantur, quae libens secutus auctumno 1738 appulit. Reliquit academiam 1744 Francofurtum petens. Anno sequente Vindobonam migravit consilio Imp. aulico adscriptus. Paulo post a Francisco Caesare lib. baronis honore insigniebatur. Ad coelites abiit vir praestantissimus Vindobonae d. 30 Mart. 1768 f).

## XLVIII.

*Ioannes Ernestus Höpsner*, Gießae, patre mercatore, genitus d. 12 Maii 1702; postquam apud aliquos nobilissimo genere natos vitae studiorumque magister fuerat et varia ad exteros itinera perfecerat, ad moralium professionem vocabatur a. 1740. Extra

c 2

ordi-

f) Filius paternarum virtutum aemulus *Ren. Car. L. B. a Senckenberg* honoris causa hic mihi nominandus est; extinctus apud nos variolis puerilibus d. 19 Oct. 1800, bonis omnibus plangentibus. Cuius memoriam

merito colit academia, ob domum splendidam, bibliothecam insignem atque pecuniae summam testamento legatas. Publico programme huius memoriam prosecutus est venerab. *Kühnoel*.

ordinem inter iētos locus additus est 1741. A. 1744 ord. prof. simulque i. u. doctor, *Senckenbergio* abeunte, constitutus est. Mortalitatatis fatum expertus 3 Febr. 1759.

## XLIX.

17. *Franciscus Iustus Kortholt*, *Matthiae Nicolai*, poeseos et eloquentiae prof. filius, natus Giessae d. 30 Ian. 1711, ipse poeseos et eloquentiae professionem sortitus est a. 1741. Simul extra ordinem inter iētos locus ipsi concedebatur d. 11 Apr. 1742. Notandum vero, eodem tempore (ex mandato Principis d. d. 10 Mart.) quartum in ordine iētorum locum, *Rayfii* morte dudum vacantem, suppletum non esse, sed quatuor novos professores extra ord. constitutos esse, *Höpfnerum* puta, *Kortholtum*, *Balserum* (qui tres simul fac. iurid. assessores erant) atque *Wlömen*. Extra ordinem quoque, sicut antea, docuit *Arnoldi*: ordinario autem loco *Kayser*, *Wahl*, *Senckenberg*. Nulli vero ex quinque extra ordinem adscitis praerogativa concedebatur, servabat sibi Serenissimus, illi ex his, qui dignitate atque industria praestare existimaretur, ordinarium locum se. / demandari. Palmam ceteris praecipuit *Kortholt*, relicto philosophorum consortio prof. iur. quartus designatus d. 3 Aug. 1743. Acad. syndicus nominatus 1745, prof. prim. 1755, ad procancellarii locum evectus 1764. Extinctus 11 Febr. 1771, magnum sui desiderium relinquens.

## L.

106 X *Johannes*  
*Ernestus Christophorus Balser*, Giessae, patre poligrapho, ultima Ian. 1710 natus, studiis academicis probe peractis iur. lic. gradum obtinuit 1736. Ius e. o. docere coepit 1742 d. 5 Apr., in ordi-

ordinarium locum relatus 1744, doctoris honoribus ornatus 1747.  
 Tabe consumtus vir longiore vita dignus, caelebs d. 14 Ian. 1750.

## LI.

*Stephanus Sigismundus Wlömen*, Osthemia Franco, Marburgi iurisprudentiae studium coluerat ibidemque a. 1727, sub iubilaei acad. solemnibus, doctoris honores acceperat. Causarum patrum egit, postea a. 1741 eodem consilio Gieslam venit atque d. 7 Sept. 1741 pro facultate legendi disputavit. Prof. iur. extraord. locum d. 19 Apr. 1742 auspicatus est. Dimissus, uti petierat, d. 22 Mart. 1745. Wezlariae aliquamdiu commoratus est, dein electori Colonienfi ab aulae consiliis fuit.

## LII.

*Christophorus Ludovicus Koch*, Butisbaci, ubi pater Henrici, Hassiae principis, famulus erat, d. 3 Ian. 1718 natus est. Postquam iuri faciundo se addideret, pro licentia disputavit 1744, extra ordinem docendi potestatem nactus d. 13 Apr. 1745. *Ayrmanno* fati defuncto historici partes, nec non bibliothecae acad. curam, obtinuit d. 19 Maii 1746: invitis multis, quos tamen de meritis suis haud ambiguos reliquit. In procuratoris fisci officio excepit noster *Canngiefferum*. Ordini idorum adscriptus est 1748, quo tempore sex antecessores fuere, *Kayser*, *Kortholt*, *Ienichen*, *Hoepfner*, *Balser*, atque *Koch*. Consilii regiminis quoque in consortium venit a. 1750, non titulo, sed revera. Caelebs d. 13 Nov. 1756 phthifi animam edidit. Bibliothecam suam academiae testamento legavit.

## LIII.

## LIII.

*Georgius Wilhelmus Wagner*, Giessae natus d. 16 Aug. 1715, *Io. Nicolaum*, tabularii praefectum, patrem, *Sim. Nic. Orth* (XXXI) vero avum maternum habuit. Iur. lic. factus a. 1740, causarum patroni vices per plures annos gessit atque institutionibus privatis vacavit. Ictis extra ordinem adscriptus simulque facultatis assessor nominatus 20 Maii 1745. Reliquit academiam a. 1748 Vornatiam, ut civitatis Imp. senatui consulendo adesset, vocatus, frustra dein reditum meditatus. In quo officio consenuit atque d. 6 Dec. 1780 mortem invenit. g).

## LIV.

*Gottlob Augustus Ienichen*, natus Lipsiae 9 Jul. 1709, ibique praeclare eruditus, a. 1730 I. U. D. doctoris dignitatem adeptus est. Ad locum in ordine ictorum tertium (quinque tum professores erant) occupandum Giessam vocatus est et d. 28 Dec. 1747 orat. de eminentissimis Seren. principum gentis Hasso Darmstad. virtutibus munus adiit. Codicem et novellas docuit, scriptis potissimum inclaruit. D. 1 April. 1759 rebus humanis exemptus.

## LV.

*Georg. Ern. Ludov. Preuschen*, natus Dithardae, comit. Cattimelibocensis inferioris vico, d. 26 Febr. 1727, vir et fama et meritis illustris. Postquam Marburgi, *Estore* praefertim praeunte, curri-

g) Hoc tempore *Christ. Frid. Meis*, Schleusingensis, pro gradu I. U. doctoris a. 1741, pro facultate praesidendi aperiendique collegia 1742,

disputavit. Ordini vero philosophorum adscriptus erat, quem reliquit atque in patriam rediit sub initium a. 1748.

curriculo  
huc se c  
ordinis  
acto C  
est. In  
ptus est,  
lium ha  
dit in t

*Ioan*  
censum  
rat, hu  
fusciper  
*Hopfne*  
capiebat  
cretioris  
nuit, V  
recens n  
fere aca

*Luc*  
Febr. 17  
habuit.  
A. 1743  
gendi d  
d. 28 Lu

curriculum academicum perfecerat et 1752 pro licentia disputaverat, huc se contulit eodem anno. Professoris iurium extraord. nec non ordinis iutorum assessoris munus obtinuit 1753. Anno nondum exacto Carolsruham petiit, ubi demum a consiliis secretioribus factus est. Inde Wezlariam migravit, ubi cam. Imp. assessoribus adscriptus est, nominis nobilitate addita. Denique Dillenburgi domicilium habuit, ubi curiae principis Arausionensis praefes fuit. Occidit in thermis Embsensibus d. 1 Sept. 1794.

## LVI.

*Ioannes Christophorus Koch*, natus Mengeringshufae Waldecensium d. 8 Mart. 1732. Iena, ubi doctoris legentis vices gesserat, huc vocabatur d. 25 Oct. 1758, ut quartum inter ietos locum fusciperet, adibat vero d. 3 Maii 1759 et, quia *Ienichen* atque *Höpfner* eodem fere tempore morte sublati erant, locum secundum capiebat. Acad. syndici 1764, procancellarii 1771, consiliarii secretioris 1773, cancellarii 1782, munera succedente tempore obtinuit. Viri ingenii acumine, doctrina, eloquentia, fama insignis recens manet memoria. Amifimus virum, qui per semifeculum fere academiae decus fuerat, senem d. 14 Ian. 1808.

## LVII.

*Ludovicus Godofredus Mogen*, cui Giessa natalitia dedit d. 4 Febr. 1724, *Ierem. Laurentium*, quem supra not. d) laudavi, avum habuit. A. 1747 pro gradu doctoris obtinendo publice disputavit. A. 1743 in consortium advocatorum venit, 1750 pro facultate legendi dissertationem defendit. *Kochio* in historici munere successit d. 28 Iul. 1757 locum orat. rite aggressus. D. 26 Mart. 1766 professio

fessio iuris ordinaria addita est. Praefecturam Battenbergensem, quam initio detrectaverat, accepit a. 1771, ibique leto datus d. 15 Mart. 1773.

LVIII.

*Christianus Hartmann Samuel Gatzert*, natus Meiningae d. 4 Jun. 1739, apud Goettingenses praeclare informatus atque a. 1764 I. U. D. honoribus ornatus, eodem anno prof. iur. extraord. Goettingae constitutus est. Cum iuvenis haud exiguam existimationem sibi paraverat, huc vocatus tertium in ordine iudiciorum locum suscepit d. 29 Maii 1767. Locum secundum atque syndici partes obtinuit 1772, a consiliis regiminis secretioribus nominatus 1773. A. 1782 Darmstadium evocatus est, ubi supremus status administrator fuit, in qua dignitate candore, gravitate atque indefesso pro salute patriae labore plurimum valuit. S. R. I. baronibus adscriptus est 1790. Cum propter valetudinem adversam tantis laboribus aliquatenus imparem se sentiret, missionem petiit: aegre vero a Seren. Magno Duce missus est. Giessam, antiquum domicilium, petiit a. 1801. Hydrothoracis affectione diu cruciatus vivendi finem apud nos invenit d. 2 April. 1807.

LIX.

*Ludovicus Iulius Fridericus Hoepfner*, Gissae d. 3 Nov. 1743 natus, *Io. Ernestum* (XLVIII) patrem, *Wahlum* (XL) avum habuit. Curriculo scholastico et academico strenue peracto Cassellas, ut apud *Canngiefferi*, supremi status administratori atque cancellarii, filium moderatoris studiorum partes susciperet, 1764 vocabatur. Ibi simul in collegio Carolino iurium prof. nominabatur 1767. Ad professionem in iure ordinariam quartam vocatus a.

1770,

1770; d.  
qua qua  
tem civi  
manitate  
cutus est  
integrum  
ctus Sere  
tionum o  
Anno seq  
constitutu  
praeditus.

Hel

primam  
mario.  
apud cam  
Ludovicu  
mandare  
adiit. C  
bunalium  
tholicoru  
tem puta  
quod per  
lando S. I  
Imp. ablo  
cretioris  
dine ictor

1770, d. 27 Mart. 1771, locum tertium accepit oratione habita, in qua quaestionem solvit, an aliae praeter naturales leges ad felicitatem civitatum requirantur. In quo munere doctrina, facundia, humanitate maximam laudem sibi paravit. Doctoris gradum consecutus est, d. 30 Sept. 1771 disputatione de effectu restitutionis in integrum quoad fideiussorem publice defensa. Ex academia detractus Seren. Principis decreto, quo Darmstadii in suprema provocationum curia loci ipsi demandabatur: adiit vero aetate a. 1731. Anno sequente a consiliis tribunalis secretioribus, nomine quidem, constitutus est. Exspiravit vir amabilis, tenera nervorum compage praeditus, febre acuta d. 2 April 1797.

LX.

*Helvicus Bernardus Jaup*, Darmstadiensis, ubi d. 9 Aug. 1750 primam lucem hausit, patre *Geo. Daniele*, concionatore aulico primario. In academiis Goettingensi atque Giessensi, tum Wezlariae apud cameram Imp. tantam eruditionem sibi paraverat, ut Seren. Ludovicus IX. Landgr. quartum in ordine ictorum locum ipsi demandare non dubitaret. D. Mart. 1772 oratione provinciam rite adiit. Cui scripsit progr. de iurisdictione supremorum imperii tribunalium in causis ecclesiasticis Evangelicorum non magis quam Catholicorum fundata. Neque hic vir praestantissimus infra dignitatem putavit, pro doctoris gradu consequendo publice disputare, quod peregit ultima Dec. 1777 diff. de privilegiorum de non appellando S. R. I. statibus concessorum effectu. Ratisbonam ad comitia Imp. ablegatus ibique duos fere annos commoratus, consilarii secretioris atque procancellarii acad. honores, nec non locum in ordine ictorum secundum, obtinuit a. 1803. Multis vero bonis flebi-

d

lis

lis occidit vir, cuius candorem, integritatem meritaque grata tenemus memoria, d. 27 Oct. 1806, languore suffocativo tactus.

Venio nunc ad viros illustres et celeberrimos, qui ordinem iuridicum hodie adeo exornant, ut antiquum splendorem, a tantis quos enarravi viris partum, hodiernus, si non exsuperet, tamen aequiparet; ita ut ceu splendidissima iurisprudentiae schola emineat nostra. Sed ne adulatoris personam agere videar, quo quidem tanti viri neque indigent, neque uti concupiscunt, pietatem non nisi nuda narratione indicare liceat.

## LXI.

*Ioannes Godofredus Sigismundus Albrecht Büchner*, Francofurti a. M. 23 Oct. 1754 natus, Ienae atque Goettingae studium iurisprudentiae coluit, atque a. 1779 pro gradu doctoris Goettingae disputavit comm. de probatione per literarum comparisonem evulgata, ibique lectiones privatas habuit. Locus in ordine iectorum *Hoepfneri* discessu vacuus ipsi demandatus est, quem oratione publica d. 1 Maii 1781 rite adiit programmate solito invitatorio, de maiestatis in personalem ac realem divisione, praemisso. Consiliarii secretioris titulo atque honore mactatus d. 10 Apr. 1806.

## LXII.

*Ioannes Daniel Henricus Musaeus*, Meiningae d. 31 Aug. 1749 prognatus, Giessae atque Goettingae studiis academicis perfectis supremos in iurisprudentia honores Goettingae assumpsit 1773 atque doctoris legentis personam egit. A. 1776 Kiloniam vocatus extra ordinem docere coepit, professor ord. ibidem constitutus 1781. A. 1782 ad nos vocatus *L. B. a Gatzert* in loco secundo, nec non  
syn-

syndici officio, successit. Adiit provinciam d. 27 Iun. oratione de temporis nostri consiliis advocatos tollendi e republica. Cui progr. invitatorium praemisit, quod disquisitionem exhibuit, quatenus aedificia fundo feudali a vasallo imposita iure clientelari communi allodialia esse censeantur. In iudicium Hassiae revisorium quoque, nec non in consilium regiminis, in hoc nomine quidem, cooptatus est. A. 1804 consiliis regiminis secretioribus, paulo post secretioribus, adscriptus est. Primum in ordine suo locum cepit a. 1808.

## LXIII.

*Andreas Iosephus Schnaubert*, natus Bingae prope Moguntiam d. 30 Nov. 1750, Moguntia relicta ad nos transfugit iuridicum studium amplexurus. In quo praeclare informatus pro gradu doctoris disputavit a. 1780. Scholis privatis cum plausu habitis professionem in iure extra ordinem accepit a. 1783. Adiit oratione de conclusis corporis evangelicorum, iuris ecclesiastici communis in Germania fontibus d. 19 Iul. habita: cui programma invitatorium praemisit de iure succedendi feminarum in feudo. Ad Helmstadienses vocatus, ut iuris germanici atque canonici professionem susciperet, Gieffa abiit autumnus a. 1784. A. 1786 Ienam appulit vir celeberrimus, ubi locum in ordine primum hodieque exornat.

## LXIV.

*Carolus Ludovicus Wilhelmus a Grolman*, Gissa nobili genere ortus est, d. 23 Iul. 1775, patrem enim *Adolfum Ludovicum*, qui a consiliis regiminis sanctioribus apud nos erat, avum vero *Melchiorem Dethmarum* (XXXIII) habuit. Hic et apud Erlangenses eruditus pro gradu doctoris consequendo disputavit d. 15 Dec. 1795, diss. de donatione propter nuptias defensa. Idem nostris extra ordinem adscriptus est d. 8 Mart. 1798, oratione, in qua poenarum infanticidii relationem criticam exhibuit, recitata; ordinario loco d. 7 Iul. 1800: quo tempore primum quatuor viris praestantissimis, qui per XVIII annos consortes mansere, quintus est additus. In suprema provocationum curia a consiliis nominatus est 1804. Locum tertium adiit a. 1808.

LXV.

## LXV.

*Henricus Carolus Jaup*, beati procancellarii nostri filius et virtutum haeres, d. 27 Sept. 1781 natus est. Iurisprudentiae studio apud nos atque Göttingae, nec non Ratisbonae in comitiis, tractato pro gradu doctoris obtinendo disputavit d. 18 Sept. 1803. Professionem extraordinariam, simulque assessoris in ord. iutorum locum, nactus est, quae adiit d. 10 Maii 1804 orat. habita super quaestione, an dentur consuetudines Germaniae universales? Ordinarius, praesertim in iure publico docendo, locus ipsi demandatus est d. 15 Dec. 1806.

## LXVI.

*Franciscus Iosephus Arens*, Arnbergae d. 7 Iun. 1779 natus, postquam iurisprudentiae studio Marburgi atque Giessae operam dederat, pro gradu doctoris capessendo disputavit d. 20 Sept. 1803; titulum dissertationis fecit, de iuris, bonae fidei possessori in fructus ex re aliena competentis, legitimo fundamento. Locum professoris extraord. nec non facultatis iuridicae assessoris, rite adiit d. 16 Iun. 1804 oratione de limitibus potestatis secularis et ecclesiasticae. Paulo post assessoris in consilio ecclesiastico atque scholastico locus additus est. Ordinarium locum, praesertim in iure canonico tradendo, obtinuit d. 15 Dec. 1806: eodemque fere tempore consilio ecclesiastico et scholastico ordinario loco adscriptus est.

## LXVII.

*Aegidius a Loehr* Wezlariae, patre quondam postarum magistro, d. 17 Mart. 1784 natus, Marburgi, Giessae atque Goettingae iurisprudentiae studio operam navavit. Wezlariae cum schola iuridica condebatur, d. 4 Nov. 1808, inter professores receptus simulque a Seren. Magno duce Francofurtensi consilii iustitiae adscriptus est. Ad nos hoc anno vocatus, quod laetamur, sequutus est atque d. 15 Maii orat. de lege Voconia habita munus novum rite adiit. Doctoris in utroque iure diplomate tradito sub adventu salutabatur.

Serie virorum splendidissimorum, qui ius in nostra literarum  
 universitate tradiderunt et nostris temporibus tradunt, ad finem per-  
 ducta restat, ut ad id properem, cuius causa praefanda quaedam  
 mihi erant. Dum vero rectoris munia per annum, quae nunc proxime  
 elapsus est, gesta depono et successori trado, providentiae divinae,  
 quae hoc anno, turbulento rerum in pluribus Germaniae regionibus  
 statu, quietem et a strepitu armorum immunitatem nobis largita est,  
 grates sunt referendae. Laete floruit inde literarum in Ludoviciana  
 nostra studium, laetius quoque, quod Serenissimi Magni Ducis, nu-  
 tricium et musagetae munificentissimi, quem Deus servet, tutela et  
 praesidio gaudet. Ausus inde non solum discipulorum, sed docentium  
 quoque, numerus. Iurisprudentiae studium novo professore, quem  
 diximus, *Aegidio a Lohr*, viro ill. accessionem accepit. Cui ad-  
 iungendus est vir consultiss. *Car. Theod. Welcker*, Oberfleida  
 Hassus, hoc anno doctor creatus, qui, quae de ipso speravimus bona  
 quaeque, implevit ad maiora pergens. Studium medicum novum  
 theatri anatomici professorem, experientiss. *Phil. Frid. With. Vogt*,  
 M. D. Dauernhemia Hassum, in honorem patriae, uti auguramur,  
 natum et informatum, accepit. Linguae Gallicae novum praece-  
 ptorem, clar. *Io. Leonard. Borré*, Monmedia Luxemburgensem,  
 qui Francofurti a. M. hucusque scholis privatis multa cum laude  
 vacavit, nacti sumus.

Disciplinae medicae novis institutis conditis maius incrementum  
 paratum est, praesertim domo splendida parturientibus dicata, cuius  
 exstructio nunc peracta est. Schola clinica, a collega excell. *Balser*  
 optimo consilio suscepta, publico sumtu adiuta atque aucta est. Col-  
 lectionis partium praeparatarum pro theatro anatomico non exiguae  
 emtio decreta est.

Institutis philosophicis novi quidem doctores non accessere, sed  
 haud exigua venerunt augmenta ex collectione vel potius thesauro  
 instrumentorum physicorum et mathematicorum praestantissimo ex-  
 cell. et ampliss. *G. G. Schmidt*, nec non ex supellectile geometrica  
 excell. et ampliss. *G. I. Cämmerer*. Utraque collectio publico aere  
 hoc anno comparata est.

Neque

Neque silentio praetereundum, quod ex decreto Sereniss. Magni Ducis a. d. 5 Maii dato tres praefecturae vectigalibus acad. destinatae, Grunbergensis, Alsfeldiensis atque Gladenbacensis, cum praedio Ringelshufano atque saltu, commutatione quadam, camerae supremae traditae, academiae vero speciosum stipendium annuum, nec non frumenti copia, adsignata sint.

Indicenda vero nunc est, quam in titulo innui, novi magistratus academici declaratio. Designatus est ille vir excellentissimus, amplissimus atque strenuissimus

GERARDUS IOSEPHUS CAEMMERER

disciplinarum militarium p. p. o. atque Sereniss. Magno duci Hassiae supremus excubiarum militarium praefectus. Faxit supremum numen, ut eadem, qua mihi elapsus est, tranquillitate atque prosperitate, annus et illi elabatur. Cumulet illum omnibus bonis atque regimen faustum et tranquillum paret. Eodem utinam candore, eadem Seren. Principis laude atque senatus academici plausu, scepra teneat, ac *Grolmannus* noster, vir ill. et generosissimus, antecessor meus nunquam non laudandus, qui in republica gerenda illustre praebuit exemplar successoribus, cui imparem me fuisse scio, cui tamen parem esse semper in votis habui. Denique vos quoque, commilitones et genere et virtute nobilissimi, in honestatis, industriae, modestiae laude, quam hucusque meruistis, in posterum quoque merenda strenue pergite.

Ad excell. et amplissimi viri, collegae honoratissimi, in magistratu academico suscipiendo solemnia, die locoque consueto peragenda, patres academiae conscriptos, utriusque reipublicae proceres atque cives academicos, suis quosque nominibus honorandos, decenter atque humaniter invito. Dab. Giessae d. XXV. Sept. MDCCCXIII, sub sigillo academiae maiori.

al

Magni  
stina-  
raedio  
ne su-  
n, nec

gistra-  
limus,


Haf-  
emum  
pro-  
is at-  
can-  
laufu,  
limus,  
erenda  
e scio,  
noque,  
indu-  
quo-

magi-  
o per-  
pro-  
andos,  
Sept,

el


Handwritten note or signature on a small piece of paper in the bottom right corner.







all



# RECTOR

## Colour & Grey Control Chart

Danes Picta



INAUGURANDI SOLEMNIA

D. XXIX. SEPT. CELEBRANDA

INDICIT ATQUE

SERIEM PROFESSORUM IN ORDINE IURISCONSULTORUM

GIESSENSIUM PRAEMITTIT.

GISSAE

TYPIS SCHROEDERI ACADEMICIS

MDCCCXIII.

83  
'00

*Procurator G. Prof. D. L. L. L.*